Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1367
Quelle:
Copyright:

Marraccium obpone, qui omnes *Robertum* non Epitomatorem, sed verum *Alcorani* Interpretem adgnoſcunt, quamvis de ejus interpretatione minus benigne ſentiant. His ita conſtitutis in examinando Codice noſtro progrediamur. Epiſtolam *Petri Cluniac.* ad *Bernhardum* excipit *Prologus Roberti translatoris Viri eruditi et Scolaſtici ad dominum p. abbatem Cluniacenſem.* Non ſuo hic loco poſitus; pertinet enim ad *Saracenorum Chronicam*, quam poſt *Alcoranum* juſſu ejusdem *Petri* Abb. latinam fecit *Robertus*. Et *Chronicam* quidem vulgavit *Bibliander* ſupracit. p. 213. *Prologus* noſter tamen illi deſuit. Video autem apud *Tannerum Biblioth. Brit. Hib.* p. 454. extare illum una cum *Chronica* in Codice *Bodl. Selden. Sup.* 31. Atque en, quae ex illo ad rem faciunt. *Cum iubendi religio, parendique votum pariter vtrinque concurrunt; illa nunquam difficilis in aliquo: nec hec deficiens inuenitur. Cum igitur Domino petro viro Venerabili ore mente manuque — placuit detegi Mahumet deteſtabilem hiſtoriam* (viden' Chronicam) *prius ludibrio quam laude dignam, non inuitus ludum illum, licet luctus materiam, ingreſſus ſum, — Sui namque gratia ſpeciali prius laborem aggreſſus, legem predicti manu propria detexi et in lingue romane theſaurum attuli.* En Alcoranum. Reliqua hujus *Prologi* παραινετικα ſunt, praeter querelam, *quod illam hereſin omnium maximam per me denudatam inter rudes origine ſumpta omnes etiam eccleſie doctores in immenſum et nimium creſcere per quingentos XXXVII. annos paſſi ſunt.* Sequitur jam legitima *Prefatio Roberti in librum legis Saracenorum quem alkoran vocant. Domino ſuo petro diuino inſtinctu Cluniacenſi abbati Robertus Retenen. — Vbi ſepius atque ſero percepi* &c. ut apud *Bibliandrum cit.* p. 7. Succedit ipſa *Korani* Verſio, ut apud Eund. inſcripta et decurrens, ne quidem Subſcriptione, quam jam ſupra adtuli, excepta. Non poſſum tamen non animadvertere in notulam, qua τὸ *Albigere* (Hegira) *Bibliander* aſperſit. *Albigere*, ait, *eſt regnum Saracenicum.*

DCVIII.

Codex in turc. charta ital. arab. C. 1000
Sec. ſummum XV. Folior. 229. 8. calamo currente, charactere atro perſcriptus, globulis potius, quam punctis miniatis interſtinctus, paginis omnibus linea rubra circumdatis, marginibusque paſſim Notulis arabicis ejusdem coloris adſperſus hunc Titulum praefert: *Vero euangelio di eſſu chiamato chriſſto nouo profeta mandato da Dio* (quae vox per totum Cod. miniata) *al mōdo ſecondo la deſcritione di barnaba appoſtolo ſuo. Barnabae* corpus anno Chr. 478. ſub imperio *Zenonis* inventum fuiſſe in *Cypro* cum Evangelio ſupra pectus, ἔχον ἐπι ϛηθεσ το κατα Ματθαιον Ευαγγελιον ἰδιογραφον τȣ Βαρναβα, teſtatur *Theodorus Lector* L. II. inter Hiſtoricos eccl. T. III. *Cantabrig.* 1720. p. 571. E.

Idem